



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Proficit colloquiis sacrarum Virginum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

*Diuinitus co-
gnoscit se pro-
futurum Ec-
clesiæ.*

*Et de societate
futurum.*

*Proficit col-
loquiis sa-
crarum vir-
ginum.*

quædam in Brabantia, quæ disertè ei prædixit, fore
tempus, cum ille multum Ecclesiæ Dei opera sua
& scripture commodaret. In oppido verò Arn-
hemio procul Nouiomago duobus milliaribus
mēsuræ gentis, vidua fuit celebris sanctitatis, quæ
cum item à Canisio inuiseretur, ante Societatis
nostræ auditum nomen, afflata diuino Spiritu,
vaticinium ei in hanc sententiam edidit. Tu in-
quit, fili cooptaberis in nouum quendam Sacer-
dotum Ordinem, quem in Ecclesia sua ad refor-
mationem eius, ac multorum salutem parat De-
us. Ego eos per visum vidi, & te ad eos adiungi.
Graues erunt viri, docti, modesti, Deo pleni, & ani-
marum caritate præditi. Bono igitur fac sis animo,
& spe huiuscemodi te sustenta; nam breui à Deo
potieris hoc dono. Ita Deus quod maximè ad opus
delegisset, ac destinasset suum illum famulum
(quod cum plerisque virorum insignium consue-
uisse legimus) non obscuris eidem oraculis præ-
monstrauit. Qui & hæc ipsa iam senior literis cōfi-
gnauit, & de profectu ex notitia & colloquiis reli-
giosarum eiusmodi sceminarum, Deo gratias a-
git his verbis. Non possum hic obliuisci bonarum
sanctarumque mentium quas puer, & adolescens
sum

sum frequenter expertus non sine profectu & consolatione spirituali, cum apud Arnhemenses, Noiomagenenses, Busciducenses, Osteruikenses, Diestenses, Louanienses degerem. Laudo, & extollo nomen sanctum tuum in sponsis tuis, iisque virginibus admirandæ virtutis, & antiquæ simplicitatis, & probatæ pietatis: quarum monitis, & exemplis, imo, & vaticiniis me sæpius excitare, terrere, fouere, & impellere voluisti, ut & tibi propior fierem, & mihi notior, & aliis vtilior, & in via spiritus vigilantior essem. Credo gratiæ tuæ donum fuisse, cum ego huiusmodi seruis tuis, & ancillis electis adiungerer sæpe; illis, quam cæteris opulentioribus, adesse malebam: illarum hortationes, consilia, preces magnipendebam, cum illis colloquia pia miscebam. Hisce præfidiis, tamque secundis ventis afflantibus bellissimè nauigans, nec ullis blandientium Sirenum vocibus interpellatus, nondum certam sibi rationem vitæ degendæ, & quasi regionem, ad quam cursum dirigeret, proposuerat: sed tantum contemplationis amore ad sanctum ocium, & religiosam, qualis Carthusianorum est, propendebat tranquillitatē. Iamque toti spectaculo erat, non Academiæ modò, sed

*Celebratur
eloquentia
& ardore
contra hereticos.*